



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ignis Fatuus Sive Charitas Inordinata**

**Leodii, 1679**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42509**

299



Th. 2399.

G. I  
32.



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


vol 821



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

IGNIS FATUUS  
SIVE  
CHARITAS  
IN ORDINATA.

*Ordinavit in me Charitatem. Cant. 2. v. 4.*



LEODII,  
Ex Officina Typographica HENRICI HOYOUX.

M. DC. LXXIX.



## AMICO LECTORI.

**U**rget me dudum Charitas Christi,  
ad inordinatam aliquorum Charitatem  
ex propriis ipsorum principiis & primo-  
veris debellandam: neque aliis instru-  
etus armis in hanc controversie palestram prodire  
cupio, quam illis que mihi ipsimet adversarii sub-  
ministrant: tanto etenim gloriiosor erit de hoste  
triumphus, quanto magis propriis debellandus est  
armis. Omnibus vulgo notum est adversarios pro-  
basi, & fundamento superaedificanda inordinata  
sue Charitatis machine passim ad nauseam intulcare  
vulgata juxta illos duo illa moralis practicae princi-  
pia, quidquid bene agitur ex amore ordinato  
agitur, quidquid male agitur ex amore inor-  
dinato agitur, sive duo illa ex premissis princi-  
piis deducta Corollaria. Virtus est ordo amoris,  
vitium est inordinatio Amoris. Quod uique  
fundamentum urypote non satis fundamentaliter pro-  
eorum intento secundum sanam doctrinam funda-  
tum, nullo aut saltem facili negotio destruendum  
est. & per consequens tota quam adlaborant huic  
fundamento superaedificare inordinate moles Chari-  
tatis radicitus evertenda est. Porro hanc inordina-  
tam Charitatem ignem fatuum indigetare volui eo  
quod sit huic metheoro simillima. Ignis fatuus non  
verus sed apparens ignis est secundum Philosophos,  
nempe exhalatio generata, & accensa in locis pin-  
guibus & humidis ut in cemiteriis, & aliis locis  
cadaverum. Dicitur fatuus quia hinc inde saltat,  
fugientes sequitur, & insequentes refugit. Quod  
ideo fit quia materia ejus est viscosa, sic ut rebus

A 2

vicinis

## AMICO LECTORI.

vicinis quibuscumque facile adhæreat unde ut qui  
ab hoc igne liberetur bonum est fugere & bascillos  
erigere , ut casu quo exhalatio in illos impingat per  
suam viscositatem iis adhæreat. Contigit enim quod  
homo hoc fallaci igne deceptus hunc ipsum tamquam  
lucernam lucentem in calliginosa nocte , insequens  
nescio quam stagnantem paludem vel foveam incur-  
rat ibique misere depereat. Inordinata Charitas no-  
vera sed adultera dumtaxat , & apparet Charita-  
tis est , ex mortuorum hereticorum lacunis & sen-  
timis oriunda. Fatuam illam non immerito dixeris

Jren. lib. 1.  
Cap. 18.

per singulos dies novum aliquid adinvenire,  
& fructificare quod numquam quisquam ex-  
cogitavit. Fugientes insequitur & insequentes su-  
git : quid non moliuntur hujus inordinata Charita-  
tis praecones , ut quempiam in suas partes trahant.  
Quomodo non fugiunt & adversantur illos qui ve-  
neranda antiquitate hanc novitiam suam doctrinam  
insequuntur. Viscosa illorum doctrina materia est  
ut potè sub specioso vera Charitatis titulo qua omni-  
bus in amore est , omnibus ablandiens facile homi-  
num mentibus inhæret , & timendum profanè  
ne hoc adulterino inordinata Charitatis igne a va-  
voritatis abducti in abyssum erroris inducantur mi-  
sere in eternum perituri. Quare ex mente philo-  
phi fugam hujus ignis fatui vobis persuadere Con-  
bor , & bascillos , sive virgas vera & antiqua se-  
pientia erigam , ut exhalatio illa pestilens per vi-  
scositatem suam illis inhærens omnibus palam fiat  
etdeo ut cum propheta regio in hoc turbulentissimo  
insolentissimorum ingeniorum profluvio dicere possi-  
mus virgatua , & baculus tuus ipsa me conso-  
lata sunt.

IGNIS

# IGNIS FATUUS

## SIVE INORDINATA CHARITAS.

*Ordinavit in me Charitatem. Cant. 2. v. 4.*

**O**rdinatissima quæque ab Auctore naturæ este ordinatè facta , hi sanc ignorare non possunt quibus nulla datur juris naturalis ignorantia invincibilis , vidit enim cuncta quæ fecerat , & erant valde bona. Illud valde Augustinus refert ad pulchritudinem universi , ex singularium partium iordine existentem. Quid mirum ? disposuit cuncta æterna illa sapientia in pondere numero , & mensura. Hinc idem Augustinus exclamat quidquid tibi vera ratione melius occurrerit scias fecisse Deum. Augustino subscribunt Doctores Angelicus & Seraphicus. Ille inquit : *dicendum est quod universum suppositis istis rebus non potest esse melius propter decentissimum ordinem.* Hic verò ait : *ipsa sapientia summa summum dat ordinem quem habere possunt res creatæ.* Quid aliud ipsa creatio nisi universi ordinatio , quid quotidiana universi moderatio nisi ordo universorum. Ordo etenim teste Augustino est parium dispariumque rerum sua quæque loca tribuens. Quem ordinem sive adæquatam rerum omnium dispositionem universam in universo , & singularem in singulis creatis adinvenire facile quis poterit ,

A 3

qui

Aug. lib. 1.  
de Gen contra Manich. c. 21,

Aug. lib. 3.  
de lib. Arb.  
Cap. 5.

1. P. q. 25.  
Art. 6. ad 3.

qui solo naturæ ductu naturam universi mature considerat. Et quod in creatione universi, hoc in ejusdem restauratione, sive redemptione generis humani adinveniri dicitur. Nam quid aliud redemptio nisi ordinis illius universi a Creatore instituti a creatura vero per peccatum violati quedam reparatio; ipsum peccatum & maxime originale deordinatio quedam est universi intellectualis sive microcosmi quo ad utrumque ordinem, naturalem, & supernaturalem: hinc siquæ in homine renato adhuc remanet deordinatio si non peccatum est, pæna peccati est. Et quidem quadruplex illa vulnerans animam ad posteros adæ et transmissa. Infirmitas in irascibili ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, & concupiscentia in concupiscibili, verbo dicam deordinatio universi hominis. Ex qua deordinatione tactum est, ut homo relictæ virtute id est amoris ordine lapsus est in vitium id est amoris inordinationem unde non immerito quis dixerit *quidquid bene agitur ex amore ordinato agitur quid male agitur ex amore inordinato agitur*. Sed inquires hæc primovera sunt adversariorum inordinatam Charitatem astringentium; non diffiteor, & quia eorum primovera sunt, sed ipsis pro eorum instituto falsissima, ideo hæc in medium profero, ut ex ipsorum primoveris & principijs, doctrinam quam profitentur radicibus extirpare queam, siquod opus humanum aut actus moralis hominis ordinatus esse debeat, hinc sane est Chritas



ritas quia virtus est : nam sive essentiam virtutis sive subiectum ejus & divisionem , sive causam virtutis ejusque proprietates indagare velis , certe virtuti ordinem essentialiem esse facile reperies . Virtus enim , si essentiam spectes , est bona qualitas mentis qua recte vivitur , qua nullus male utitur , sive est habitus cum ratione electivus , id est conformiter rectae rationi eligens , & agens & prouide ordinatè in suo ordine ex amore ordinato procedens . Subjectum virtutis est , potentia animæ , cuius perfectionem sive ordinacionem teste Angelico doctore , virtus importat . dividitur virtus iuxta ordinem quem habet ad bonum , & in quantum virtus hominis ordinetur ab bonum quod modificatur secundum regulam rationis humanæ . Causatur ex actibus humanis ordinatis a ratione sub cuius potestate & regula tale bonum constitit . in quantum vero virtus ordinat hominem ad bonum secundum quod modificatur per legem divinam , ordinatur seu operatur a Deo in nobis sine nobis . Si proprietatem virtutis considerare lubeat . Proprietas virtutis maxime propria est de sui ratione ordinare hominem ad bonum : adeo ut Charitas quomodocumque ut virtus consideretur , ordinata sit , & esse debeat . Charitas non solum virtus est sed maxime virtus sive major virtutum juxta Apostolum *horum autem major est 1. Cor. 13.* *Charitas.* Sed si Charitas præ cæteris magis virtus est , magis præ cæteris ordinata sit , necesse est . Adhaec Charitas proxime virtutum

A 4

Theo-

Theologicarum tendit in Deum , eoque  
propinquius se habet ad Deum ut objectum  
quam aliæ virtutes. Nam aliæ inquit D. Tho-  
mas important in sui ratione quamdam d-

D. Thom. 1. stantiam ab objecto suo. Est enim fides de-  
2. q. 66.

Art. 6.

visis , spes autem de non habitis , sed amor Chari-  
tatis est de eo quod jam habetur. est autem am-  
tum quodammodo in amante , & etiam amans p-  
affectum trahitur ad unionem amati. In tantu-  
m quod Charitas sit inter virtutes dispositio-  
tima perfecti ad optimum id est , Deum  
probat Augustinus lib. 2. de moribus Eccles-  
iae : & sic Charitas est eminenter præ cate-  
ris virtutibus qualitas quædam animæ in or-  
dine ad Deum , tamquam assimilativa ad ipsu-  
sum. Ex quibus omnibus evidenter concludit  
Charitatem quod magis appropinquat Deo ,  
eò magis illi similem esse , & quo magis illi  
similis est , eo magis ordinatam esse oportet.

Hinc sponsa veræ Charitatis incendio flagranti  
exclamat ordinavit in me Charitatem : non  
dixit produxit , generavit sed ordinavit. E-  
merito dixit illa ordinavit , quia ut ait Au-  
gustinus nihil est aliud perfecta & vera vita  
quam ordo amoris. At quis ordo ? is certe qui  
prescribit Charitas quæ semper est ordinata  
modo Charitas est. Hanc porro Charitatem  
& hunc ordinem haufit sponsa in cella vinci-  
ria quæ secundum originem est domus sapientiæ  
in qua sobrie ebria effudit illud amabile ,  
ordinavit in me Charitatem. Quasi dicat non sum  
suavi illo nectare dementata , non ebullit in  
me concupiscentia , non agor in furore

Aug. lib. 15.  
de Civit. Dei.  
c. 22.

Hom. 3. & 4.

9

non vagor Bacchabunda, sed probe mihi  
consto, quia sobrius est amor meus, & re-  
rum personarumque estimationem ordinem-  
que optime retinet. Ita S. Augustinus, S. Gre-  
gorius Nyssenus, S. Fulgentius aliique. At in-  
quies dum ita exaggeras ordinationem Chari-  
tatis, virtutes Theologicas in medio consi-  
stere asseris: in omnibus autem in quibus  
consistit virtus in medio contingit peccari per  
excessum & defectum. Sed circa Deum qui  
est objectum virtutis Theologicæ non potest  
peccari per excessum quia juxta Bernardum  
modus amandi Deum, est sine modo ama-  
re. Respondet ad hoc pro me Doctor Ange-  
licus. Medium virtutis accipitur per conformita-  
tem ad suam regulam vel mensuram secundum quod  
contingit ipsam transcendere vel deficere. Virtutis  
autem Theologicæ duplex potest accipi mensura.  
Una quidem secundum ipsam rationem virtutis,  
& sic mensura seu regula virtutis Theologicæ est  
Deus.... alia verò regula vel mensura virtutis  
Theologicæ est ex parte nostra. Contra primam  
regulam non potest ex mente divi Thomæ  
dari excessus, & sic bonum Charitatis non  
consistit in medio. Contra secundam regu-  
lam potest in Charitate considerari medium  
& extrema ex parte nostra, & sic per acci-  
dens datur excessus quia inquit D. Thomas  
& si non possimus ferri in Deum quantum debemus. D. Thom. 1.  
Debemus tamen in ipsum ferri amando secundum 2. q. 65.  
mensuram nostræ conditionis. Conditio vero no-  
stra ejusmodi est post peccatum ut etiam se-  
cundum adversarios nullus homo excepta  
fan-

sanctissima Virgine MARIA potuerit aut possit  
implere continuæ dilectionis præceptum.  
Velle itaque continuam dilectionem requiri-  
rere in homine sub pœna peccati , verus ille  
& exoticus Charitatis excessus est mensuram  
miserrimæ nostræ conditionis excedens. Nam  
solus ille verus amor est , qui sobrius est se-  
cundum Augustinum & alios , qui que rerum  
& personarum aestimationem ordinemque  
tenet. Hic omnis & solus ex Augustini sen-  
tentia dilectionem ordinatam habet , qui ordinem  
servat & distinguendo , eligendo , pendendo sub-  
dat minora majoribus. Quis illum distinguere  
dixerit , qui virtutes omnes confundit , qui  
virtutem non esse aliud nisi amorem Dei , seu  
Charitatem propriè dictam asserit. Quis il-  
lum dicet eligere secundum rationem , qui  
semper ea quæ conditioni humanæ impossibili-  
lia sunt elitit. Non subdit profecto majora  
minoribus qui Sacrosanctam venerandam  
que antiquitatem novellæ suorum opinioni  
postponit. Distinctius nobis adhuc ordina-  
tam Charitatem proposuit Augustinus dum

*Ang. lib. 1 de Dicitur. ait. Ipse est autem qui ordinatam dilectionem ha-  
Doct. Chris. Cap. 27. bet , ne aut diligit quod minus diligendum est aut  
non diligit quod diligendum est , aut amplius diligit  
quod minus est diligendum , aut aque diligit quod  
vel minus vel amplius diligendum est , aut minus  
vel amplius quod aque diligendum est. Vides non  
nisi ordinationem quamdam ab homine ex-  
poscit in omnibus suis actibus humanis dum  
certum ordinem ordinatæ dilectionis præscri-  
bit. Sed quis non videt hunc ordinem dilec-  
tionis*

*Epist. 120.  
Cap. 2.*

ctionis inverti a novatoribus? Certe minus quam par est ille hominem diligit qui illum agente in contra legem per nullam ignorantiam invincibilem legis naturae excusari à peccato affirmat, propterea quod ignorantia illa sit pæna peccati originalis. Non diligit sane quod diligendum est, qui non diligit veritatem quæ omnibus diligenda est & maximè Theologis. Illis etenim ex stricto juris naturalis & positivi divini ordine incumbit, ut ad exemplum æternæ veritatis incarnatæ veraces sint & viam in veritate doceant. Amplius diligit quod minus diligendum, qui in tantum Charitatem diligit, ut illius ordinem invertat, aut requirendo illam ubi non requiritur, aut alio & inordinato modo quam requirenda est. Minus denique diligit quod amplius diligendum est, qui salutem proximi periculo æternæ damnationis expavit, novum ubique inordinatae Charitatis artificium in omnibus humanæ conversationis operibus fabricando. Charitatem Amplector, ambabus ulnis amplectendam prædicto, sed ordinatam: ut enim ordinata plenitudo legis est, ita inordinata consummatio iniquitatis est, nec magis unquam superstitiosus & indebitus cultus est, quam pharisaica quadam id est inordinata Charitate Deum colere. Si vis amare purus sit, & defœcatus amor tuus: & hic est quem ipse omnium moderator Deus cum instituit ordinatum esse voluit: nam cum amorem, sive Charitatem instituit non nisi ordinem quemdam homini

mini omnium agendorum præscripsit, & in  
hoc ordine hominis perfectionem proposuit  
scilicet Charitatem, quæ est de corde puro,  
conscientia bona, & fide non facta. Sed  
quomodo ab hoc ordine, ab hac Charitate  
deviant adversarii in prosecutione hujus facilis  
videbimus.

Calorem aliquem sive ignem intempera-  
tum in corpore humano prædominari dolor  
capitis evidens indicium est, & capitum dolo-  
rem cæterorum membrorum dolore concor-  
mitari docet nos vulgatum illud.

*Dum caput ægrotat cætera membra dolent.*

Intemperatum ignem inordinatae Charitati  
aliquorum membrorum ecclesiæ animos  
mentesque præoccupare ex dolore capitum uni-  
versæ ecclesiæ, sive ex defectu infallibilitatis  
pontificiæ in decidendis absque concilio ge-  
nerali quæstionibus juris, & facti, quem  
illi affingunt luce clarus appetit, & quis de  
cæteris membris Ecclesiæ qui venerandum  
illud hujus mystici corporis caput ex aliquo  
rum ingeniorum petulantia ne dicam nega-  
tia, vel ita ægrotare videt & non doleat de  
lore maximo, non tam propter dolorem  
capitis illius, utpote solum fictitium, &  
fabulosum, quam propter membrorum  
lorum de capitis illius dolore male sentien-  
tium periculosam ægritudinem, cuius unica  
sola causa est prædominans in membris illis  
ignis inordinatae Charitatis. Cupis expre-  
mentum? dabimus. Nulli omnino à Christo  
præterquam Petro immediatè Collata est an-

tho  
cle  
suc  
ego  
alia  
Am  
tru  
Ne  
rur  
tifi  
tho  
ber  
ret  
nat  
æte  
fici  
inf  
alid  
nec  
tæ  
mit  
riar  
pos  
Etat  
pon  
lis  
der  
pri  
ait  
fide  
tus  
fue  
stu



thoritas infallibilis regendi , & docendi Ec-  
clesiam universam , dum soli Petro cum  
successoribus determinate & in singulari dixit ,  
ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua , & tu *Luc. 22.*  
aliquando conversus confirma fratres tuos . Petre  
Amas me ? pasce oves meas . Matth. 16. tu es Pe-  
trus & super hanc Petram edificabo ecclesiam meam .  
Nemo orthodoxus dubitat . Sed quam pa-  
rum ecclesiæ usibus consentanea foret in pon-  
tifice hæc regendi , docendi & definiendi au-  
thoritas , si non esset ab erroris periculo li-  
bera absque concilio generali , inordinata fo-  
ret illa , imo sui ipsius destructiva . Inordi-  
nata , quia Vicaria est illa potestas pontificis  
æternæ & incommutabilis veritatis , itaque  
sicut hæc absque ullius adminiculo depromit  
infallibilia veritatis oracula , ita illa absque  
aliorum assensu , iudicia judicet falli nescia  
neccesse est . Sui ipsius destructiva , quia illimita-  
tæ & indeterminabilis suæ infallibilitatis li-  
mites apposuisse videretur constituendo Vica-  
riam , si ipsa absque aliorum assensu falli  
possit , & quæ erat infallibilis ab æterno , fa-  
cta esset fallibilis , & errofi obnoxia in tem-  
pore , & sic esset una & eadem simul fallibi-  
lis & infallibilis , quæ omnia quantum non  
derogant dignitati æternæ veritatis ? Quod  
privilegium infallibilitatis agnoscit Leo dum  
ait *specialis cura Petri a Domino suscipitur , & pro Leo Serm. 3.*  
*fide Petri propriè supplicatur tamquam aliorum sta-*  
de assump. suo  
ad pont.  
*tus certior sit futurus si mens principis victa non*  
fuerit : rationem addit ut firmitas qua per Chri-  
stum Petro tribuitur , per Petrum ceteris conferatur .

Quis

Quis novatorum non pavet ad hujus Leonis rugitum. Non enim confertur aliis firmatas veram fidem exponendo neque hanc veram fidem exponendi potestatem alii ullcum eo communicatam habent. Nimirum solu inquit Leo nonus ad Petrum Antiochenum, pro quo ne deficeret fides ejus, Dominus & Salvator afferuit se rogasse dicens rogavi pro te, &c. quia venerabilis & efficax oratio obtinuit quod hactenus fides Petri non defecit nec defectura creditur in ihu no illius. Cuius Rei veritate motus Bernardus

Bern. Epist. ita Innocentio Papae scribit oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula queaque & scandala regni Dei, ea praesertim quae de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damnationis ubi non possit fides sentire defectum: cui enim alteri sedi dictum est aliquando ego protego gavi ut non deficiat fides tua. Quam sedulam divi Bernardi sententiam, quod si propriæ sententiæ præponerent novatores, non illam futilem quæstionem de fallibilitate pontificia in decidendis questionibus juris & factam acriter, & mordicūs propugnarent immemores ordinatæ Charitatis quæ postulat juxta Augustinum ut subdantur minoram auctoribus.

Majorem concilio Pontificem esse hinc patet quia prima sedes non judicatur a quaquam, quia romani pontificis est consilia convocare, eorum decreta rescindere, corriger & interpretari: docet Theophylactus hoc privilegium dari Petro, quia major cæteris futurus esset ute potè princeps, & caput alio-



aliorum : *Quia te Habeo inquit principem Dis-* Theophyl. in  
*cipulorum confirma ceteros.* Hoc enim decet te  
qui post me ecclesiæ petra es , & fundamen-  
tum. Et quidem hæc soli Petro dixit , non  
Petro & concilio , ex quo apparet totam fir-  
mitatem definiendi esse a pontifice , non par-  
tim a Pontifice & partim a concilio.

*Cap. 21. Lue.*

Non recensebo h̄ic summos Pontifices sen-  
tentiam pro se dicentes , testimonia genera-  
lium consiliorum paucis attingam ratus id  
quod res est plus in hac causa mereri ipsorum  
judicia consiliorum , quæ in pontifice res  
fidei per se definita hanc autoritatem er-  
roris expertem ultro agnoscunt. Illam agno-  
vit ut calem in Leone I. Synodus Calcedo-  
nenis quarta , actione secunda. Item in  
Agapeto concilium Constantinopolitanum  
secundum actione quarta in causa Anthimi.  
Illam admisit Synodus 4. actione 18. erga  
Othonem. Dein Synodus octava erga Adria-  
num 2. ac Nicolaum 1. Pontifices , quo-  
rum sententiam inibi Actione 5. Synodus af-  
firmando non posse immutari , agnoscit eam  
immutabilis esse veritatis. Sunt alia id genus  
non pauca , sed ne prolixior sim unum ad-  
jungo novissimi Concilii Tridentini testimo-  
nium Sessione 7. de Baptismo Can. 3. Ecclesia  
Romana autem non nisi ratione pontificis est Ma-  
gistra ceterarum. Quid ais numquid hic ictus  
fatalis est novatoribus nostris. Quid hoc  
aliud quam soli pontifici proprium esse infal-  
libile in docenda Ecclesia Magisterium ; ut in-  
fallibile inquiunt , admittimus Magisterium  
illud

illud quandocumque cum concilio fuerit con-  
junctum. Sed quid hic consilio opus? inspi-  
ce Tridentinum non pontifici ratione Eccle-  
siæ sive consilii sed Ecclesiæ ratione pontificis  
docendi Magisterium adscribit. Numquid  
universam Ecclesiam ipsam columnam &  
firmamentum, veritatis eadem ruina involuit  
sive pontifex in definienda quæstione facti  
sive in quæstione juris fallibilis sit & errori ob-  
noxius? eadem profecto! & parum utilis  
foret spiritus veritatis in Ecclesia perpetuo  
mansurus si permitteret Christi Vicarium  
suo nomine & sua auctoritate universæ Ec-  
clesiæ præsidentem in aliis infallibilem, in aliis  
fallibilem esse, quorum omnium tamen ve-  
ritas æque necessaria foret regendo populo  
Dei, & quorum singula per suam assistenti-  
am æque facile possit ab erroris periculo vir-  
dicare. Varias facti quæstiones, ut alios fi-  
lentio præteream Leo decimus se solo, re-  
solvit ac definivit atque eo tenore quo pro-  
cedit in quæstione juris, suam definitionem  
toti Ecclesiæ proposuit. Cujus facti ratio  
nulla alia a me assignari potest quam potestas  
facientis. Nec huic facto contradixit ortho-  
doxus aliquis: in promptu ratio est, quia  
nulli eorum sententiæ contraria erat decisio  
definientis. Hinc etiam pontificem infallibi-  
lem prædicant adversarii in approbandis san-  
cti Augustini libris, & hoc solum quia illi  
lum suorum doctrinis favere dicunt, neque  
subit vereri illos ne hic vel ex questione facti  
velex alia quapiam causa aliquod erroris pe-  
ricalnum



riculum interveniat. Vides? inordinata Charitas suas h̄ic partes agit. Augustini inquit docemus sententiam a Conciliis, a Pontificibus approbatam. Approbatio illa vera & inconcussa est, authoritas Pontificum sive Conciliorum in hac doctrina approbanda infallibilis est: de ejus veritate vel minimum dubitare summum piaculum est. Ad quid h̄ec omnia? quia Augustini sententia est, dicam ego non noverunt Augustini sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est.

*Aug.lib. 12.  
Confess. cap.*

25.

Inordinata Charitas sive ignis ille fatuus de quo nobis sermo est, quamquam non verus sed solūm apparet ignis, veram tamen veri ignis naturam & conditionem in nonnullis insequitur. Quemadmodum hic semper sursum ascensit sic ille videtur summa petere, & ad instar fulguris summos qui in Ecclesia sunt ferire montes. Montium nomine Doctores intelligo qui ceteris cathedrali sunt eminentiores, quorum duos ordines Scholasticorum nempe & casuistarum quos sibi & doctrinæ suæ contrarios invenit, summè insequitur, & si posset ab ecclesia & religione Catholica ad sectam paganorum & gentilium ablegaret. Scholasticos, pessimos magistros appellat & fabulatores, etiam in errorem ducentes si fieri possit electos: illos quasi parvulos fluctuantes circumferri omni vento doctrinæ affirmat, illos mutuam autoritatem lādere, mutuasque doctrinas non erroris solum verum & h̄ereseos insimulare & proscribere afferit, adeo ut per Scholasticos faciendum autu-

B

ment,

ment, quod Filius hominis cum venerit non  
inveniet fidem in terra. Sed unde hęc tam in-  
ordinata & insulsa dogmata nullo sale mode-  
stiae christianae condita? causam sive origi-  
nem expetis? quia nimio sale supereminens  
scientiae & sapientiae sua dogmata condiri vo-  
lunt, ideo sal eorum infatuatur, & cum sit  
infatuatum ad nihilum valet ultra nisi ut mi-  
tatur foras & conculceretur ab hominibus. Cha-  
ritas inordinata est propriæ scientiæ & Do-  
ctrinæ, hinc nimium sui amantes in super-  
biā elati ut inquit Apostolus, optimos  
quosque Scholasticorum convitiis lacerant,  
mendaciis onerant & nescio quorum erro-  
rum & hæresum eos non insimulant: quasi  
verò Theologia Scholastica omnem religio-  
nis, & fidei ordinem invertisset, & inver-  
sum suis Aristotelismis ut aiunt & fabula-  
tionibus per fas & nefas propugnare vellat.  
Sed quam inordinate Theologiæ inversum  
ordinem Scholasticis adscribant, Sixtus V.  
Pontifex Maximus non obscurè docet dum  
*Confit triumphantis.*

ait illos contra Hæreticos, apta illa & inter-  
se nexa rerum & causarum coherentia, illo ordine  
& dispositione, tanquam militum in pugnando in-  
structione, illis dilucidis definitionibus, & distinc-  
tionibus, illa argumentorum firmitate, & acutissi-  
mis disputationibus, lucem à tenebris, verum à  
falso distingui, eorumque mendacia multis prefigiis,  
& fallaciis involuta tanquam ueste detrac-  
patefieri, & denudari. Frustra igitur oblatrant  
novatores Scholasticis, illos sacratissimæ  
Theologiæ candorem polluere suis fordibus;

non



non polluunt hanc sed illustrant, dum in sacris litteris interpretandis, in patrum sententiis & scripturis explicandis utuntur suis Scholasticis distinctionibus. Similes sunt ejusmodi Theologi novatores serpentibus, qui Matris morte sibi vitam comparant; & per illius quæ ipsos gestavit viscera aditum sibi in hanc lucem patefaciunt. Nunquid Scholaistica Theologia illos concepit & paulatim in Scholastico pulvere exercitatos quasi foetus efformatos protulit, dum illos five baccalaurei five licentiati, five Doctoris laurea decoravit. Et in hanc Matrem suam continuò insurgunt, propriis illius visceribus non parcunt, cum quæ illi intrinsecè & essentialiter necessaria sunt pro vaniloqua & inani argumentandi methodo reputant.

Nec major profectò illis adest reverentia erga Casuistas quam Scholasticos, in illos adhuc impudentius debacchantur. Illorum dogmata versatilia, veritatis larvas, Christianæ vitæ fucos, exorbitantium ingeniorum ineptias, laxitatis intemperies, commenta, figmenta, pigmenta, somnia, delicia, insanias nuncupant. Illos se mutuo ut grues sequi non discussa veritate, illos omnium errorum scaturigines esse propalant. Sed meminisci eos oporteret christianæ Charitatis, quæ non patitur viros summa sanctitate & doctrina conspicuos, quales plurimos inter Casuistas reperire est ejusmodi conviciis conspurcari, quam diversa sunt horum de Casuisticis judicia, à judiciis Sanctorum Caroli

B 2

Borro-

Borromei, Francisci Salesii & Cardinalis Paleotti, quorum proxim & methodum regendi animas se insequi fingunt. Hi Casuistas summo honore habitos suis legendos proposuerunt, illosque quasi expertissimos quosdam navarios in vasto & immenso moralis oceano ad evitandos scopulos & Charybdes suis prescribunt. Illi Casuistas flocci pendunt, eorum lectionem abhorrent, solos patres legendos praedican. Sed quam ordinatum est hoc eorum confilium paucis accipe. Confilium juxta angelicum doctorem non nisi de rebus ad finem obtainendum congruis datur oportet. Non enim sufficit res fore in se bona, sed oportet illas proprias & accommodatas esse ad affsecutionem finis propositi. Lectio patrum perquam utilis & necessaria est animalium rectoribus, sed quis illam ad inventigandos casus conscientiae commodam dixerit, quis ex immenfis eorum Operibus Casum fibi oblatum facile resolvet, aut resolutum poenes ipsos inveniet? nemo; quid igitur lectio patrum ad cognitionem casuum conscientiae. An minore in hisce cognoscendi scientia opus quam in adiudicanda jurisprudentia aut medicina? pro acquirenda juris prudentia jurisperitos pervolvunt omnes, pro medicina medicos consulunt, quidni igitur pro cognitione casuum conscientiae casuistas consultant, qui casus omnes in quibusvis materiis ocurrentes tam ordinato ordine, tam faciliter resolvunt. Neque hi sanè audiunt qui Casuistas solum hisce novissimum tempore.

temporibus oriundos autumant. Non prius  
in hoc orbe terrarum Legislator quam Casui-  
sta fuit, quicumque legem tulit aut promul-  
gavit, legem explanavit, & casus circa illam  
occurrentes resolvit. Hoc fecit Moyses in le-  
ge veteri, hoc præstítit Christus in lege nova.  
Hæc cíne noviter inventa quæ utriusque testa-  
menti legislatorum authoritate firmata?  
proinde non nisi injustissimè à malevolis ca-  
suiſtæ appellantur novatores & novitatum  
inventores. Sed quamyis novitates forent  
eorum lucubrations, an ideo deteriores?  
nunquid contra novum morbum à medico  
excogitatur inusitatum antidotum & exorti  
de novo pravi hominum mores, causæ sunt  
non solum bonarum sed & novarum legum.  
Quinimò propter nova adinventa bellorum  
stratagemata indies ars militaris renovatur?  
Quid igitur mirum si nova bella elegit Dominus *Jud. 5.*  
ut portas inferi diabolicis peccatorum novis  
adventionibus roboratas Doctorum Scho-  
lasticorum & casuistarum telis & machinis  
evertat. Tunc solum inanes & superfluæ  
erunt novæ Doctorum lucubrations cum  
novas desinent homines perpetrare iniquita-  
tes. Tunc solum veraciter quis dixerit, nihil *Gen. 8.*  
*dicendum quod non dictum prius, quando sensus &*  
*cogitatio humani cordis in malum prona quiescent*  
agere perversa, & adinvenire nova. Sed  
quamdiu peccator manet antiquorum malo-  
rum perpetrator, nec pudet eum ut habeat  
novorum auctor juxta multitudinem  
adventionum suarum, tamdiu non solum

B 3

Rei-

Reipublicæ Christianæ non frustraneus  
inanis erit Scholasticorum & casuistarum  
bor, sed utilis & necessarius. Quam veriu-  
tem non solum nova probant Theologorum  
contra novos exortos abusus & excitatas ab  
orco hæreses documenta, sed omnium histo-  
riarum Annales confirmant. At inquiunt se-  
ciendi plures libros nullus est finis, nimia librorum  
& scriptorum Copia non otiosa tantum fa-  
odiosa, & perniciosa est fidelium regimini  
& studentium utilitati. Nemo sanæ men-  
hæc dixerit! Audite Salomonis hac de re pa-  
dicium. *Audiens*, ait ille *sapiens sapientiam,*  
*sapientior erit.* Et quare hoc dixit inquit Cr-  
rillus *Nisi quod sapientie non est numerus?* Quid  
quid scripserint vel non scripserint Doctors  
in immenso Sacræ Theologiæ pelago semper  
jure merito quis dixerit quod alius olim dis-  
se dicitur. *Adhuc multum restat operis malum-*  
*que restabit quia inveniendis inventa non obstat.*

Sed hæc paulo magis rationum pondere  
bremus! quis invitatus ad mensam regiam in  
cujusdam divitis epulonis qui quotidie ex-  
latur splendidè, dixerit perniciosaam sive  
straneam esse multiplicem ciborum & ob-  
niorum varietatem, eò quod si de singulis  
comedat inde stomacho suo malum inferat.  
Hoc si quis dixerit respondendum sanè illi fa-  
ret, hanc Ciborum varietatem & abundan-  
tiam quam sive magnificentia regis sive like-  
ralitas tractantis mensæ apposuit, à dis-  
tione comedentis moderandam fore.  
de singulis illi eligendum esse quod sibi in-

*Ecclesiastes 12.*

*Prov. 1.*  
*Cyrill lib. 1.*  
*Apolog. Mor.*  
*cap. 1.*

gis salubre & congruum judicaverit. Con-  
geries librorum & scriptorum Theologico-  
rum quid nisi apparatus quidam alicujus men-  
sa spiritualis omni Ciborum genere instructæ  
ad pascendas animas. Et hæc mensa quia  
mensa magni regis est quam apposuit omni-  
bus timentibus se , pro magnificentia illius  
vario , & multiplice ciborum delectu in-  
strui debet , & tamen omnes ad eam acceden-  
tes admonet Apostolus non plus sapere quam  
offeret sapere , sed sapere ad sobrietatem. Cæte-  
rum quod si multitudo librorum sive de re  
medica sive de jurisprudentia conscriptorum  
nullatenus vana & frustranea , sed tum curan-  
dis corporum morbis , tum observandis le-  
gum statutis accommoda judicetur , cur ama-  
bo tanta erga Casuistarum & Scholasticorum  
multitudinem indignatio non magis hi Theo-  
logiam moralem multiplicitate scriptorum  
suum quam medici medicinam aut legispe-  
riti jurisprudentiam confundunt. Tanta est  
hujus veritatis evidentia ut ulteriori demon-  
stratione non egeat. Tantum abest quod  
multiplicitas librorum in aliqua scientia con-  
fusionem pariat , & scientiæ illius studiosos  
in varios & multiplices sensus abire cogat,  
quod etiam quod plures eam scribendo tra-  
ctant & tractando doceant , eò magis scien-  
tiæ illius unitatem varietate scriptorum suo-  
rum dilucidant: quod Theologiæ præ cœteris  
proprium est. Cum enim fides nostra Catho-  
lica una sit , una quoque & eadem Scriptura  
Sancta , una quoque Ecclesia nec aliæ fint

veritates ab eis quas docuerunt Patres nostri  
necessè est earum easdem esse definitiones &  
descriptions , & eadem omnium de Theolo-  
gia scribentium primovera. Undè sequitur  
evidenter quod quò plures plura de Theo-  
logia scribant , plus illius primovera & inva-  
riables regulas stabiliant , & per consequent  
plus illius unitatem confirment: quod si enim  
verò nullus Scholasticus aut casuista foret  
qui certas Theologiæ regulas præscriberet  
quis non videt majorem in Theologicis confu-  
sionem fore quam modò , ubi quamvis plu-  
res eandem materiam summa varietate tra-  
ctant in eadem tamen principia unanimiter  
conjurant. Videlicet itaque varietatem scri-  
ptorum & scribentium idem principium &  
finem intendentium , in Theologia non ob-  
esse sed prodeesse & quasi frenum injicere luxu-  
riantium ingeniorum ineptiis, cum per multi-  
plicitatem Doctorum in unum & idem con-  
jurantium non liceat unicuique abundare in  
suo ingenio , quod tamen nimius sui amor  
five inordinata charitas unicè intendit , &  
ideo solum omni voto expetit omnes Scho-  
lasticos , & Casuistas è theologia eliminari,  
ut quod sibi liberet pro libitu suo effutire li-  
berè posset. Ego quod ad me attinet , sapien-  
tissimis scholasticis & casuistis hoc defero , ut  
dictum viri & perantiqui & sapientissimi Vin-  
centii illis accommodem dicendo *quodcumque*  
*igitur in Ecclesia Dei agricultura fide Patrum se-*  
*tum est: hoc idem filiorum industria decet & exco-*  
*latur & observetur hoc idem floreat & maturescat.*

Hil



Hoc idem proficiat & perficiatur : fas est etenim ut Contra heres prisca illa cœlestis Philosophia dogmata processu <sup>cap. 30.</sup>  
temporis excurentur , limentur , poliantur : sed nefas est , ut commutentur , nefas , ut detruncentur & mutilentur. Per Scholaisticos & Casuistas veterum patrum documenta non commutari , detruncari , aut mutilari , sed explanari , limari & poliari omnibus judicio pollutibus inconfesso est. Adeò ut Theologiam Scholasticam cum Sixto V. Pontifice appellare possem Salutaris scientiae cognitionem & exercitationem ab uberrimis divinarum litterarum , sumorum Pontificum , Sanctorum patrum , & conciliorum fontibus dimanantem , quanto igitur magis novatores hanc munitissimam Scholasticae Theologie arcem oppugnare & evertere conantur , tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere , & hereditatem patrum nostrorum conservare & tueri , & acerrimos veritatis defensores meritis honoribus quantum possimus decorare.

Ignem fatuum ut potè in paludosis & stagnantibus locis natum , ad paludes & abyssos hominem inter tenebras deducere apparente sua luce , omnibus vulgo notum est. Peccatum est abyssus multa , & cum peccator peccat quid nisi abyssus abyssum invocat. Ad hunc abyssum rectâ nos dedit ignis noster fatuus sive inordinata charitas , cum singulos actus nostros peccaminosos judicat quia Charitate destitutos. Heu mihi quid ultra miseriæ miseris peccatoribus adjici potuit. Via illorum ut ait Propheta tenebrae , & lubricum angelus domini persequens eos. Nunquid satis ? <sup>Psalm. 34.</sup> adjicit

adjicit inordinata charitas juxta vias eorum  
tot abyssos quo miseri perpetrant actus, in  
quos præcipiti motu miserè ad ima inferni de-  
volvantur. Hæcine ordinata Charitas est? sic  
illam appellat ille ex cuius ore nullum pro-  
cedit peccatorum miserere, dum veram virtu-  
tem nominat *ordinem amoris* seu *amorem ordi-*  
*natum* dum dicit peccatum esse quidquid non si  
*ex amore ordinato.* Amorem illum ordinatum  
intelligit Charitatem perfectam, qui juxta  
illū est amor Charitatis *attollens hominem supra*  
*seipsum, quod naturaliter fieri nequit,* & soli Deo  
uniens, id est unum spiritum cum Deo faciens. Sed  
quis non videt hunc amorem Charitatis inor-  
dinatum esse, & ordinationi divinæ, quæ at-  
tingens à fine usque ad finem fortiter suavi-  
terque disponit omnia, è diametro resistere.  
Hæc autem est ordinatio divina juxta adver-  
sarios ut homo inter incommutabilem supra  
creatorem cui tamquam summo bono immediate sub-  
iecta est, & irrationalis infra se creaturas, quibus  
utendo non fruendo dominatur, juxta pares alias in-  
tellectuales creaturas quibus in Dei fruitione equan-  
appetit rationalis ipsa sed mutabilis natura per am-  
orem veluti per proprium pondus collocetur, sed num-  
quid hunc ordinem sive ordinationem divi-  
nam invertit qui ad singulos actus humano;  
sub poena peccati charitatem, & quidem  
perfectam exposcit? *Tenet ordinem natura ra-*  
*tionalis* inquit Augustinus *seipsa tota diligens*  
*quod supra se est id est Deum, socias autem animas*  
*tamquam seipsam.* Sed neutrum prestat haec  
Charitas inordinata, seipsâ totâ non diligit  
Deum

In quest.  
Theol, de  
grat justif.  
salmuris im-  
pressa.

Aug. lib. 6.  
music. cap. 14.

Deum quæ illum in se solum, & non in proximo diligendum prædicat, neque socias animas amat ille tamquam seipsum, qui illis onus imponit quod nec sibi nec ulli hominum, (exceptâ S. Virgine) post lapsum Adami possibile fuisse ultro fatetur. Humana natura secundum novatores rationalis ipsa est, sed mutabilis natura, si mutabilis, quomodo justè ad immutabilem amorem Dei super omnia obligari potest. Quomodo amorem Dei super omnia oportet *Al. ghemynē verbintenissē* fundatum hære id corde nostro quamdiu vivimus? p. 4 p. 10. p. Quomodo hoc necessarium esse potest ad salutem <sup>20.</sup> atque ad implendum primum maximumque mandatum, omnes obligans sub pena aeternæ damnationis, quod homini in statu naturæ lapsæ impossibile est? Deus impossibilia non jubet, nec per consequens hunc impossibilem amorem perpetuæ Charitatis. Deus amorem præcipit sed non perpetuum. Inter affirmativa annumerari oportet præceptum dilectionis, quæ unanimi Theologorum consensu obligant semper, sed non pro semper. At inquiunt, potuit homo *Jerem. cap. 31. 6.* in statu innocentie constitutus, cui natura præceptum illud imposuit plenè & perficere implere illud præceptum. Blanda consolatio sed infirma infirmis animis adhibenda. Quid juvat olim potuisse modò jam non possit? Ad hæc respondent cum Jeremia quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia est merces operituo. Quod autem inquiunt homo pessima sua voluntate se conjecterit in quandam impotentiam quam & voluntarie continuat, ideo non tenetur natura sua immutare leges. Ad hæc & similia quis

quis non audiat vocem lamentationis , luctus  
& fletus naturæ humanæ, plorantis filios suos  
& nolentis consolari super eis , quia non sunt.  
Non sunt qui sunt filii Adam , si mutabilis  
natura immutabilis Charitatis lege arctetur.  
Qua lege perpetuæ dilectionis si qui homines  
alligare velint ? quis neget illos totum ordinem  
divinæ providentiae invertere? Cum enim  
lex æterna jubeat ut omnia sint ordinatissima,  
impossibile est hoc esse ordinatum ut Charita-  
tas quæ per eandem æternam legem cœterarum  
forma est facta virtutum , inordinata sit  
qualis est quæ perpetuam dilectionem præcip-  
pit. Multoque magis impossibile ut illum or-  
dinem naturalem perturbando non peccent  
nōvatores , cum lex æterna non sit alia nisi  
ratio divina seu voluntas Dei, ordinem natu-  
ralem conservari jubens , perturbari vetans.

*August lib.  
6. music. cap.  
15.*

Sed rursus ad sui defensionem Augustinum  
inclamat dicentem ipsa est animæ ordinatio  
qua nulli servit nisi uni Deo , nulli æquari nisi pu-  
rissimis animis nulli dominari appetit nisi nature  
bestiali atque corporeæ. Perturbatur autem hic  
ordo perversâ & peccante voluntate , si ipsa  
anima aliquid amat præter Deum. Duo im-  
portat hic ordo : primò nempè ut quod in-  
ferius est non magis ametur appretiative sive  
ut non ametur ut majus & superius id quod  
minus , & inferius est , secundò ut quod mi-  
nus & inferius est non ametur tamquam finis  
ipsius operantis in quem seipsum suaque om-  
nia referat. Quid hoc impedit quin amare li-  
ceat unumquodque & æstimare secundum  
suum gradum ? Deum esse verum & unicum

bonum hominis , eo sensu quasi verò nihil aliud sit verè bonum homini , & per se dignum illius amore , ita ut licet amari nequeat nisi per relationem ad eum , falsum est , nec potest sine errore affirmari . Nunquid per se amabilia sunt virtutum officia quia talia sunt . Nunquid delectationes per sensus aut alter ex creaturis perceptæ possunt absque peccato propter seiphas expeti ? aliquæ delectationes bonæ sunt juxta divum Thomam aliquæ malæ , sicut aliquæ operationes sunt bonæ , aliquæ malæ , quas delectationes con- D Thomas  
I. 2. q. 34.  
sequuntur , si delectationes operationes art. I. in  
Corp.

consequantur , quæ bonæ sunt & licitæ , quid ni & ipsæ bonæ sunt & licitæ absque ulla relatione in Deum aut Charitate perfecta & justificante ? Actiones indifferentes dari , & consequenter indifferentes de iis delectationes unanimis doctrina est Sanctorum patrum . Quisquis illas è medio tollit , Dei ordinationi resistit . Ordinatio etenim hujus universi præsertim microcosmi in varietate rerum & actionum consistit . Nec parum interest divinæ ordinationi hominem posse sicut malè & bene , ita & indifferenter agere . Quam actionum & delectationum indifferentiam si quis neget in homine , hominis creationem de peccato & inordinatione arguit . Porrò Augustinum iterum in medium adferunt inter affectuosos flagrantis Charitatis affectus Deo suo dicentem August. lib.  
io. Confess. minus te amat qui tecum aliquid amat : minus profecto Deum amaret qui cum Deo quidquam creatum ut finem suum ultimum inor-

dinatē amaret. Sed non minus Deum amat, qui ordinate cum Deo aliquid amat: quin imō tanto magis creatorem diligit quanto magis & efficacius plures creature, maximē rationales casto amore diligit. Hoc etenim habet oppositum Charitas cum amore proprio sive concupiscentia ut quemadmodum hæc sibi soli studet omne bonum communicare, illa ē contrario quidquid boni habet aut habere potest etiam cœlo benigniore, id omnē profundit, atque abjicit ut proximus inde

D. Thom. 2. 2. participet: nam ut recte ait Sanctus Thomas  
9. 27. Art. 8. diligere proximum propter Deum est aliquid magis  
& melius quam solummodo diligere Deum. Rationem addit quia actus ille habet totam perfectionem quæ est in amore Dei, & aliquid amplius quatenus se extendit ad amorem proximi. Quid mirum? Charitas fundatur super communicatione summi boni in cuius participatione communicant omnes homines, & quò plures participant id ipsum, eò magis ille per quem participant diligunt illud bonum, cum jubemur præcepto divino & naturali diligere Deum ex toto corde, non jubemur excludere omnem alium amorem, nihilque amare nisi Deum aut propter Deum, sed illum tam integrę, perfectę & absolute amare, ut nihil admittatur ejus amori adversum. Neque aliud voluit Augustinus dum dixit cum autem Christ. cap. 22. & cap. 10.

Lib. 1. de ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitam nostrā partem reliquit quæ vacare debeat & quæ locum dare ut alia re velit frui. Sed quidquid aliud diligendum venerit in animum illuc rapiatur quæ totus dilectionis impetus currit quæ nullum a se



vulum duci extra patitur cuius dirivatione minatur. Quia dilectioni Dei contrarium est velle aliquo alio quam Deo frui , hoc est in sensu Divi Augustini non quomodocumque de illo delectari ut bono jam possesto , sed diligere illud propter se ut bonum beatificum , & nullum etiam à se rivulum duci extra patitur quamvis non excludat omnem cujuscumque alterius rei amorem , qui non sit amor Dei propter se , cum amor ille quem admittit non sit amor de bono Beatifico sed de bono possesto. Bonum & licitum est se diligere propter seipsum , melius autem se diligere propter Deum & de hoc modo præstantiori diligendi seipsum, loquitur Augustinus ; cum ait *nullam esse aliam dilectionem qua quisque diligit seipsum nisi quod diligit Deum.* Nam si nemo nisi diligendo Deum diligit seipsum , non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto etiam seipsum & proximum homo diligere jubetur. Frustraneum erat præceptum de diligendo proximum , quod tamen secundum simile primo promulgavit ipsa veritas. Vides qualiter inordinata charitas confundat duo præcepta charitatis diligere Deum & proximum , si per eam non possit diligere proximus nisi propter Deum. Deinde præceptum quod prædicat Christus primum & magnum mandatum hoc ipso non esset primum & magnum mandatum , nam quod secundum dixit & simile huic , primum esset & majus altero quandoquidem ex mente D. Thomæ majus sit proximum diligere propter Deum , quam solummodo

modo diligere Deum. Hæc clariora sunt quam ut ulteriori examine egeant, Ad alia absurdula properemus quæ secum adfert hæc charitas inordinata, docendo necessitatem charitatis ad omnes actus humanos.

*Aug. lib. de  
fid. & oper.  
Cap. 4.*

Hujus inordinatæ charitatis professores in labyrinthum incident à quo nequeunt eripi, & in illam labuntur absurditatem de qua Augustinus loquitur errant homines non servantes modum & cum in unam partem procliviter ire cuperint, non respiciunt divinæ authoritatis illa testimonia quibus possint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utrisque temperata est veritate ac moderatione consistere. Nam cum nullum opus morale fieri posse sine sanctitate supernaturali afferunt, omnia quæcumque fiunt à peccatoribus ante justificationem peccata esse affirmant: sed si peccata sint,

*Aug. lib. 5.  
de Civit. Cap.  
15.*

Augustinus, quare ait paganos aliqua bona

*Aug. in Psal.  
83.*

opera facere extra Eccleiam, quare dicit Au-

*Aug. Epist.  
130.*

gustinus Polemonem adolescentem ethnicum à Xenocrate philosopho ad temperantiam & continentiam fuisse conversum, & plura alia ejusmodi. Si temperantia & continentia ante justificationem non sint virtutes sed vitia, aut si mavis si temperantia sine charitate non sit temperantia & continentia non sit continen-  
tia, quod ex doctrina vestra evidenter con-  
cluditur, quandoquidem secundum vos ad  
rationem virtutis non sufficiat quod objectum  
sit honestum decensque naturam rationalem,  
& ametur propter suam honestatem & boni-

tatem

tatem intrinsecam, sed ulterius oporteat re-  
ferri in Deum per charitatem. Ad quid ratio  
nobis à Creatore nostro indita, siquæ rectæ  
rationi consentanea fiant, absque charitate,  
peccata sint? ad hoc inquiet ratio nobis  
indita ut omnia nostra juxta Apostolum refe-  
rendo in Deum impleamus primum maxi-  
mumque mandatum, omnes obligans sub pæ-  
na æternæ damnationis. Miror qua fronte  
præsumperint pervertere Apostoli consilium  
in præceptum: non curant quid intenderit ipse  
modo prætexant malæ suæ opinionis admini-  
culum: non vult Apostolus ita omnia nostra  
referri ex charitate ad Deum ut omnia quæ  
non referuntur non sint virtutes sed peccata:  
non dixit Paulus fides sine charitate non est  
fides, sed inutilem solum dixit ad salutem,  
quamobrem subjunxit nihil sum vel nihil  
mihi prodest, quod probat Anselmus super  
eo Apostoli verbo *major horum charitas sine  
charitate inquit potest esse fides & spes.* Commen-  
davit etiam Paulus fidem Raâb meretricis, &  
Salvator fidem Chananeæ quæ utpote paga-  
næ expertes erant charitatis. An forsan Pau-  
lus, & ipse Salvator peccata laudasset? an  
ethnicos & paganos ad peccata facienda ad-  
monuisset? Bona opera justificationem ante-  
cedentia invalida sunt & inutilia in ordine ad  
salutem: non sunt tamen spernenda sed am-  
plexanda quippe quibus se bene exercet &  
ad gratiam disponit operans, ut docet D. Chrysostomus testimonium bonum inquit habuit lege natu-  
ra & spiritu sancto.

C

dens

dens, Dei autem sermonem nondum edocetus. Et quae opera erant bona & admirabilia; placebant etiam Remuneratori & amatori Deo. Vides? Chrysostomus opera Cornelii adhuc gentilis bona voca & admirabilia eaque dicit placere Deo! quomodo igitur peccata? si peccata sint Deo placere nequaquam possunt, cui odio sunt impius, & impietas ejus. Consuluit Daniel Regi Nabuchodonosor peccata sua eleemosinis redimere, mandavit rex Ninive ninivitis dicens operiantur saccis homines & jumenta & clamet ad Deum in fortitudine, & convertatur vir à via sua mala, & ab iniustitate qua est in manibus eorum, quis scit si convertatur & ignoscat Deus. Hi omnes gentiles fuere penes quos nulla nota aut vestigium Charitatis & tamen hæc eorum opera non potes arguere de peccato nisi velis peccata peccatis redimi, & peccatis Deum converti ut ignoscat. Itaque etiam invitus compelleris hic nobiscum sentire aliqua opera bona moraliter fieri posse etiam à peccatoribus. Porro si nullum opus est bonum nisi quod fit ex motivo charitatis propter Deum summè dilectum, sequitur nullam esse virtutem præter unam charitatem cujus solitus est operari propter tale motivum. Dic mihi amabo si quis ex firmamento lunam & stellas tam fixas quam errantes ablegare vellet, & unicum solem in eo collocare, nunquid dicendus esset velle inverttere ordinem & pulchritudinem hujus firmamenti? quis dubitat? Qui docet omnia facienda esse ex motivo charitatis solam charitatem vult esse in munere.

Dan. 4.

Jone. 3.



do, cæteras virtutes omnes foras mittit. Sed quam inordinatè reclamat Scriptura cum plures alias virtutes præter charitatem agnoscit, & commendat variis locis, reclamant Sancti Patres & ipsa ratio manifestat, nam cum virtus est habitus conformiter rectæ rationi eligens & agens, manifestum est rectæ rationi consentaneum esse amare justum & facere, quia justum est, vivere temperatè, subvenire indigentium necessitatì, parentibus & benefactoribus honorem impendere & cætera ejusmodi quæ etiam præcisa relatione ad Deum, ut summe dilectum propter seipsum, honesta sunt & secundùm rectam rationem appetibilia. Quicumque illam veritatem impugnant utar Divi Laurentii Justiniani verbis, hi velut eaci spiritum sequuntur erroris, fallaciis irretiuntur diaboli, ipsum lucis Angelum de casto cona arbitrantes, tentationibus consentientes & suas nubio Verba perficientes voluntates, precipitantur in foveas, nef-  
ciunt discernere nec quidquam rectè dijudicare. Lan. Just.  
Desideriis virtutum sine ulla se accommodant disciplina regula, omniq[ue] quasi spiritui credunt: & tamquam absque gubernaculo naves colliduntur in scopulos. Quod sibi & aliis fidelibus est secunda post naufragium tabula in hoc quasi in scopulum sive charybdim sua doctrina impingunt misere naufragantes: nec mirum sequuntur quippe charitatem inordinatam sive ignem fatuum cui proprium est hominem deducere ad foveas & abyssos: inordinata charitas est, sive agere ex amore inordinato, velle contradicentibus SS. Patrum Scriptis & Con-

C 2

filiorum

filiorum Decretis necessariam esse ad Sacra-  
mentum pœnitentiæ charitatem perfectam &  
per se justificantem , sic absolutio sacerdotis  
nudum est ministerium declarantis remissa esse  
peccata : dogmata sanè charitatis sed inordi-  
natæ affectatione speciosa , Tridentino appo-

*Stff. 6. c. 14.* sitè contraria : qui docent *non peracta pœnitentia*

*pœnitentes absolvī non debere* numquid ordinem  
inter partes Sacramenti pœnitentiæ à Tridentino  
præscriptum invertunt , nisi Ecclesiam  
velint sacerulis omnino quatuor vel quinque  
usque ad hunc diem errasse quæ hunc ordinem

*Aug. de S.  
Virgin. cap.  
55.*

Tridentini observavit. *Hæc in statera charitati*  
*appendite &c videte an non tutius sit se in hoc*  
Tridentino conformare quam Petri d'Osma  
quem filium iniquitatis appellat Pontifex,  
dogma insequi , cuius dogmatis patronos qui  
hæresis insimulant non præcurrunt judicium  
sed enuntiant præjudicatum juxta regulam  
*Causa 24.  
Quest. 1. cap. 1.* juris qui hæresim damnatam sequitur ejus se damnationis participem facit. Quidquid de indiscreta dilatione absolutionis , sive de irrita ab-  
solutione quam consequitur relapsus intra  
tempus breve , inordinate effutiunt novato-  
res , unanimiter omnia veræ & ordinata  
charitati repugnant , si usquam vera charita  
necessaria est , hæc in administratione Sacra-  
menti pœnitentiæ ubi misericordia superex-  
alitat judicium necessaria est. Spiritus autem  
Christi est vera charitas sive ut ait Anselmus  
charitas veritatis dicitur enim inquit ille *Spiritus*  
*Sanctus charitas , & Christus est veritas , charita*  
*ergo veritatis est Spiritus Christi. Sed quam alieni*

*Lib. 3. de  
spirit. S.  
cap. 20.*

*sunt*

fint à Spiritu Christi qui hunc thronum misericordiae phanatica sua opinione commutant in carnificinam conscientiae. Paternæ largitatis memor non est qui est fraternæ immemor charitatis, *lapsi in certamine fraternali miseratione* Cen. Rom. contra Novatum sunt curandi, & fomentis pœnitentie medicandi: *ubi enim Deus Dominum mutavit in partem* Chrys. Serm. 7. voluit charitate magis quam potestate regnare maximè in hoc tribunali, & amari maluit quam timeri: sectamini itaque Spiritum Christi magis quam curiosas hujus Ævi hominum disputationes quæ edificationem nullam sed dissensiones plurimas pariunt, & dum medici inter se decertant interim ægri moriuntur. Quam inordinationem, si quis charitatem astruit, charitatem destruit. Quæ laudabilia sunt vituperanda dicit, virtutes in vitiis & peccata mirabili Metamorphosi transmutat, & plurimis viam salutis æternæ occludit quam omnibus aperire charitas exposcit. Adeò ut ejusmodi charitatis professores hæc Christi fulmina sibi attrahant *væ vobis scribere & pharisei hypocrite, qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis nec intrare possitis intrare.* Et tanto periculosior est Christianis quanto sub eminentioris virtutis pallio tecta delitescit & cuius hæc factio nisi diaboli, qui juxta Cyprianum novit convertere noctem in diem, qui facit de tenebris lucem splendescere, sive virtus sub virtutum specie coruscare. Hic audiit Christum dixisse: ignem veni mittere in mundum & quid volo nisi, ut accendatur.

C 3

Voluit

Matth. 27.

Cyp. lib. de simp. prælator.

voluit id ipsum imitari & quantum potuit fecit simia illa infernalis , ignem novę & inordinatę charitatis in multorum cordibus accendit , & quid vult nisi ut hoc ipso si fieri possit totus mundus accendatur & ut magis accendatur oleum misericordiae sive fraternalę charitatis huic igni infudit , fratrem necessitatem habentem omnimodè sublevari mandat etiam de aliena substantia , nam templū ; & aras nescio quo sacrilego pietatis sensu suis mobilibus spoliari desiderat , ut viva templo Spiritus Sancti , ut ait , subleventur , dicendo cum assecla suo judā ut quid perditio hæc , possunt hæc venumdari & dari pauperibus . Vult sacrata divisorum simulacra nuda prostituere , ut nudum hominem tegat . Operat denique templo omnia in Xenodochia converti ut egeno , & indigenti opituletur . Hæc si quis obiter audit & non considerat vere dicet majorem charitatem nemo habet : sed vide quam inordinata est hæc charitas hujus veris pellicis , quam longe distat ab illa quam ipsa veritas per Prophetam suum omnibus inculcavit . *Frange esurienti inquit illa panem tuum non alienum , & egenos vagosque induc in Domum tuam non alienam , cum videris nudum operi eum sed propriis vestibus non alienis à Divorum simulacris sacrilege ablatis , hæc fac quisquis es qui ita Charitati studes , prius pingues , & opulentos illos Ecclesiasticos redditus vel alios quos possides in pauperes distribue , Christi sunt illi redditus , non tui , pauperum sunt , non amicorum & consanguineorum*  
tuorum

tuorum. Et cum hæc feceris tunc invola in Domum Dei , per me licet , tunc operi nudum Divorum vestimentis , quando tuas vestes quas in scriniis tam frequentes tinea corrumpit in pauperes distribueris. Hæc primò fac , & postmodum quantum lubet adhortare tuos ad charitatem.

Nihil adversæ parti magis obvium quam illud Apostoli ad Chorintios *omnia vestra in 1. Cor. 16. charitate fiant, secundum charitatem ambulate. Rom. 14.* Sed primo omnium qui hæc inordinate docet, à via veræ charitatis aberrat adeo ut optime illud Davidicum in eum quadret, *lacum aperuit Psalm. 7. & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit.* Sincidilla sive ignis faruus semper ad lacus & foveas hominem deducit; inordinata charitas cuius sincidilla typus est, varios lacus aperuit & sibi plures ( ut dictum est, foveas fecit ) quarum una & quidem maxima est scandalum quod undique falsis suis contentionibus pusillis inferunt. Eorum de charitate doctrinæ vere est petra scandali , & lapis offensionis in quem omnis ætas & sexus fidelium, juvenes & virginis, senes cum junioribus impingunt. Et profecto quis non offendatur cum à magistris & professoribus charitatis , ea quæ charitati è diametro contraria sunt, practicari videt. quid magis contrarium charitati quam scandalum ? *chari- 1. Cor. 8. tas vero edificat* inquit Paulus, nullum scandalum patitur maxime illud quod generat callicitas humana ut ait Chrysologus. Sed quæ edificatio penes inordinate charitatis patronos

tronos quæ non scandala ex eorum novitiat  
& perversa doctrina. illa justis æque ac peccatoribus laqueo tendit, lapsus parat, forensedit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit unitatem, sapit malum satis, bonum nihil, violat divina, humana tentat. quæ omnia non minus inordinatae Charitati, quam ejus progenitori diabolo secundum Chrysologum propria sunt. A diabolo sunt illa quæ fallunt specie quæ prætendunt bona cum mala inferant. Jam dudum inordinata Charitas decreta Pontificum lapidem firmandis vestigiis latum, in totam sulcavit & exasperavit offensam, & totius fundamenti petram Scripturam Sacram scilicet vertit in scandalum ut esset miseris ad ruinam. Gallicani versionem novi testamenti secundum mentem Calvini factam, & contra Romanam correctionem plurimas verbi Dei sententias ad mores fidemque pertinentes continent, suis legendam proponunt, & ut magis legant pro Sacramentali satisfactione illis imponunt. Non sufficiebat illis nuper bullam Innocentii XI. laxiores quasdam sententias condemnantem latino idiomate, ut solet, in scholis circumferri, debuit illa flandrice sed minus fideliter translata imprimi, ut in omnium monialium & muliercularum manibus versaretur. Numquid haec faciendo eligunt ministros scandali magis esse quam pacis

Petr. Chrys.  
serm. 27.

Petr. Chrys.  
serm. 11.

pacis. Numquid occasionem præbent ut istas  
 laxitates in praxim deducant illi , quibus per-  
 suadent illas a tot adversariis , quos impetunt  
 doceri. Dico cum Apostolo *peribit infirmus in*  
*tua scientia frater propter quem Christus mortuus*  
*est.* Docere ignorantes sancta , & salutaria in-  
 ter opera Charitatis seu misericordiæ spiritua-  
 lia quidem adnumeratur sed docere ignorantes  
 noxia , & peccata quæ numquam Belgium  
 audivit & adhuc minus docuit , non inter  
 misericordiæ sed summæ impieratis opera ad-  
 numerandum est : nam *sic populus mancipatus*  
*errori, scandalum facit juxta Apostolum : ubi*  
 se peccatorum morbus , vitiorum scelus , im-  
 pietatis phrænesis mentibus semel infudit hu-  
 manis , quidquid est scientiæ , sensus , &  
 rationis extinguit , & furore vesano facit  
 gentes insurgere contra gentem , & disparat-  
 is civium contentionibus rempublicam mi-  
 serè dilaniari. Quapropter Apostolus ad  
 Romanos & Ephesios unice commendat cha-  
 ritatem fraternitatis , sed in quantum illam  
 commendatam habeant novatores unicuique  
 facile innotescit , aiunt enim verò concilium  
 Tridentinum non videri æcumenicum ut po-  
 tè in quo potiores fuerint partes scholastico-  
 rum & papæ. Sed non illæ sunt voces filio-  
 rum charitatis , sed prophetarum potius il-  
 lorum qui sedent ad ripam limanici lacus ,  
 infames libellos sed sua infamia famosos ut-  
 potè propter hæreses contentas tortorum ma-  
 nibus in gallia igni traditos in vulgus spar-  
 gunt : & indoctæ plebi pro speculo pietatis

ob-

I. Coll. 8.

I. cor. 2.

obtrudunt illud ; quod verius quis dixerit speculum impietatis. Religiosos omnes à prædicatione verbi Dei amovere vellent prohibentes illis gentibus loqui ut salvi fiant quorum tamen ordini & societati iteratò mandatum est à sede Apostolica vade & annuntia regnum Dei. Si hæc charitas est , nescio quid sit invidia, Moyses inquit glossa prophetare omnes voluit, quia bonum quod habuit non invidit. Affingunt aliis dogmata & propositiones à Sede Apostolica damnatas quorum ipsi authores , & professores sunt , cum suam vident damnatam doctrinam , non desinunt plebiculæ plenis buccis , affirmare horum vel illorum doctrinam proscriptam esse. Univerſa delicta operis charitas inquit sapiens , siquæ delicta aut defectus in libris scholasticorum aut casuistorum ex fragilitate & insufficientia humana commissos usquam deprehendunt, non illos excusant ut præcipit charitas , sed accusant, non tegunt illos pallio discretionis sed detegunt impudentia contentionis , similes maledicto Cham qui derisit verenda patris. Hæc cine charitas? meliora Superi , non charitas sed hypocrisis est, subtile malum , secretum virus , venenum latens, virtutum fucus , tinea sanctitatis. Sacerdotes Dei , quos Apostolus vocat genus electum regale Sacerdotium , quibus non conspurcant maculis , & falsis onerant convitiis quasi vero in Ecclesia perverfa forent omnia præter illos & eorum doctrinam , sic Ecclesiam ejusque ministros tractant , à minimo usque ad maximum fibi contra

i. Thess. 2.

Lxx. 9.

Proverb. 10.

contrasentientem variis inurunt notis : ne-  
quidem ostiarius sive janitor Ecclesiæ nuper  
in quadam Thesi eorum evasit censuram,  
non secus ac si modo Ecclesiastica disciplina  
ex officina textrina petenda foret, & reges  
ac principes tam politicos quam Ecclesiasti-  
cos formam regendæ reipublicæ docere vel-  
lent, qui non nisi ad plebi opus textrinum  
edocendum admissi sunt. Utinam attende-  
rent, & intenderent illi huic suo operi hære-  
ditario. Habent in eo quod videant unitatis  
& concordiae symbolum : nam sicut ex filis  
lanæ ordinatè conjunctis exsurgit pannus,  
sic ex compage unitatis & junctura fraterna  
civium, crescit vinculum pacis. Doctrinam  
suam, doctrinam Pauli illuminatam affere-  
re impudenter non erubescunt, & commu-  
nem aliorum doctrinam, obscuram carbo-  
narii fidem appellare adhuc impudentius non  
verentur. Insignis profectò charitas ! sed  
quid mirum ? si difficile est juxta Bernardum  
fortassis & impossibile, ut ex amara radice ambi-  
tionis suavis fructus prodeat charitatis. Quem-  
admodum ecclesiastico regimini, sic & poli-  
tico quod ex ecclesiastica & laïca potestate  
conflatur, hæc novatorum doctrina perni-  
ciosa est, nam cum de ministrorum juramen-  
to quod à rege exigitur, de sollicitatio-  
ne & nummorum numeratione adeo incautè  
& indiscretè loquuntur, verendum profectò  
est ne his & similibus nugis sinistram de mi-  
nistris regiis opinionem suggerant plebiculæ,  
& alia incommoda reipublicæ inferant que-

*Corn. de com-  
vers. ad Cler.  
cap. 30.*

facilius excitantur quam assipiuntur. Cum analogiam inter phariseos, & adversarios astruere conantur : vellem attenderent an non suam potius suorumque prosopopeiam astruant. *A foris etenim apparent hominibus iusti, intus autem pleni sunt hypocrisi.* Doctrina eorum vera hypocrisis est, quæ ex mente Chrysologi secura similitudinē fallit prospera, curiosa mantitur, & crudeli arte virtutes truncat muerone virtutum . . . & misericordiam miseratione prosternit.

*Chrys. serm.  
7.*

*Chrys. serm.*

*Serm. 3. de  
Circumcis.  
Dom.*

*Serm. 49. in Ius.  
Cant.*

Cavere itaque Fratres ab hac inordinata charitate, sive fermento phariseorum. Eugendum est virus, pestilentia cavenda qua de remedium creat morbos, conficit de medicina languorem, sanitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiacione discrimen. Hinc illuminari nos necesse est lumine discretionis que Mater virtutum est inquit Divus Bernardus & consumatio perfectionis : *hac nimirum docet nequid nimis.* Hinc sponsa dilecta ordinavit in misericordiam : omnino necessariè ait prefatus Pater. importabilis siquidem absque scientia est discretio est necessaria, que est ordinatio charitatis . . . proinde sane ne tamquam nimia & importabilis pro impetu spiritus quem è cella videtur vinaria reportasse præsertim ab adolescentibus sponsa timeatur, jungit quod discretionis est etiam se pariter accepisse, id est ordinem charitatis. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorum etiam, & perpetuitatem. Tu qui hæc legis, scito à pia puraque mente hæc esse,

&

Cum  
ersarios  
ent an  
opeiam  
is justi,  
eorum  
hryso-  
la man-  
uerom  
ne pro-  
  
dinata  
Eugien-  
emediti  
, san-  
atum,  
emina-  
Mater  
go con-  
et ne-  
in mu  
is Pa-  
est ze-  
axime  
arita  
go im-  
idetur  
sponja  
se pa-  
cretio  
m tri-  
a qui  
esse,  
&

45

¶ si ipsa aliter , subjici à me iis quorum pro-  
priè cognitio hæc & censura.

F I N I S.

I. E. C. v.<sup>s</sup>



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



Th  
2399

E III

206